

-----

1 / Reverende Domine. Vere, et ex corde compatior angustiiis  
tuis, et tanto magis ex corde, quanto re ipsa nihil fere me facere  
posse video in gratiam tuam, si quidem apud datarium Sanctissimi  
Domini Nostri nullam auctoritatem habeo, et plane scio literas meas  
5 ad illum nihil omnino profuturas. Quod unum mihi superest, hoc fa-  
ciam, ut videlicet causam tuam Reverendo P. Roberto Personio, et  
per illum Illustrissimo Cardinali Burghesio, Anglorum Viceprotec-  
tori, (~~¶~~ Cardinalis enim Farnesius Protector abest ab Urbe) quam di-  
ligentissime commendem. Tu vero, homo Dei, iacta cogitatum tuum in  
10 Dominum, et ipse te enutriet: fidelis enim Deus est in omnibus ver-  
bis suis; ipse dixit: Quaerite primum regnum Dei, et iustitiam ei-  
us, et haec omnia adiicientur vobis; et: Scit Pater vester quia  
his omnibus indigetis. Ergone solus Guglielmus Tailerus egregius  
confessor, et pugil Dei deseretur a Deo? absit, non fiet hoc; imo  
15 quanto magis videtur ab auxilio humano destitutus, tanto erit illi  
vicinius, atque praesentius auxilium divinum. Scio te hac quali-  
cumque consolatiuncula non indigere, sed volui paucis his verbis  
affectui meo satisfacere. Vale, et pro me ora, qui sarcinam gravis-  
simam gemens fero. Datum Capuae die 7 Novembris 1602.

20 Guglielmo Tailero.

[ F. B. 5, f. 116. Minute autogr. Fuligatti, Epp. famil. XXX.]